

Verum animi rursum , ac mentis tentare vigorem  
 Aggrediar , veteresque iterum renovare labores .  
 Nempe sui rursum post tempora longa vocatum  
 In patriam cives amissi Rege reposcent ,  
 Regiaque intexent meritæ diademata fronti ,  
 At frustra , & fatis obstantibus . Ipse revellam  
 Fœdera , & crepto gnatum succedere patri ,  
 Ingentem magnis gnatum virtutibus , atque  
 Grandi animo , atque alta fultum pietate , jubebo .

Necquidquam ferroque Gener pugnabit , & auro ,  
 Bisque datam Socero necquidquam mille per artes  
 Tentabit nutantem iterum fulcire coronam .  
 Irruet hinc denso Germania milite , & inde  
 Immanis gelidi extremis e finibus orbis  
 Barbaries excita ruet . Qua strage natabunt  
 Urbesque , campique omnes ? quæ fracta cruentus  
 Scuta virum , galeasque , & fortia corpora volvens  
 Vistula in obstructum tandem vix ingeret æquor !

Rursum igitur patriis fugiens e finibus exul ,  
 Ignotus ; cultumque habitu mentitus agrestem  
 Sequanicas ægre demum se reddet ad oras .  
 Frangeret hic alium post tot felicia casus  
 Infelix ; Heros animo perstabit eodem  
 Adversari excipiens invicto pectore sortem .

Qualis , quæ mediis rupes in fluctibus undas  
 Frangit , & insanos ventorum immota furores  
 Mole sua ridet tutissima : qualis & Euros ,  
 Et celso Boream se attollens vertice quercus  
 Provocat , atque altis fidens radicibus acres  
 Despectat pugnas , iramque illæsa sonantem .

Hunc igitur tanti tentaminis esse jubebo  
 Postremum finem demum , metamque laborum .  
 Fausta tibi , Heroique tuo , quæcumque sequentur ,  
 Polliceor : junctis pangam nova fœdera dextris ,  
 Pacatis hostes discedent finibus , atque  
 Ad sua barbaricus miles glacialis regna